



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

XIX. Ad Ill. Eccl. Pr. Gabrielem De Roquette Aeduorum Episcopum. Cum eo ad populum Molinensem dicente, sacra pulpita per totam urbem vacavissent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Ille tuis melior supposita est victima fati :
 Illi dulce mori , ne morerere , fuit.
 At , Fernande , doles fido esse superstes amico ;
 Morsque tuo absolvit penè dolore nefas.
 Vive precor. Cur te misero vis perdere luctu ?
 Ah ! fati est animæ parte carere tuæ.

XIX.

AD ILL. ECCL. PR. GABRIELEM DE ROQUETTE

ÆDUORUM EPISCOPUM.

*Cum eo ad populum Molinensem dicente , sacra pulpita
 per totam urbem vacavissent.*

ORA tenete omnes, petit hunc sibi pastor honorem,
 Solaturus oves cum venit ipse suas.
 Felices nimium, quibus est concessa facultas
 Dulcibus alloquiis blanditiisque frui.
 Nam quanta ingenii vis est, quæ gratia linguæ,
 Cum pia flexanimâ pectora voce quatit !
 Audiat Ambrosius cœlesti ab arce loquentem :
 Mella neget labris purius ire suis.
 Audiat aurifluo torrens Chrysofomus ore :
 Hæredem magni nominis esse velit.
 Suspiciunt intenti oculis mirantibus omnes,
 Auribus atque avidis verba diserta bibunt.
 Ille tonat ; subito trepidant : suspiria flentis
 More trahit ; moesto lumina rore madent.
 Ostentat cœlum ; cœlo vota omnia mittit
 Concio , & indignam spernere gaudet humum.
 Quos jussit cunque affectus facundia victrix,
 Protinus hos animo cerea turba subit.

Ite oratores, conscendite pulpita, fari
 Nunc licet; auditor si tamen ullus erit.
 Mira fides: postquam dixisti, maxime præful,
 Jam nemo est tota qui velit urbe loqui.
 Clauserat os nobis reverentia: solvere virtus
 Nunc vetat eloquii non imitanda tui.

XX.

AD COMITEM BRIENNIUM,

Cum ei psittaci, quã petierat, metamorphosim mitteremus.

PSITTACUS angusto quem carcere pagina claudit,
 Non est occiduo missus ab orbe tibi.
 Aonii venit frondoso è vertice montis,
 Factus avis, lepidus qui fuit ante puer.
 Ille meæ, Lomeniade, quando invida vultum
 Fata negant, fidei testis & obses erit.
 Ille tui dignos dum nitor condere versus,
xap̄e suum blæso garrulus ore canet.
 Discipulæ volucris si rustica musa placebit,
 Non rudis ad cantus ipse magister ero.

XXI.

AD ILL. V. CAROLUM FERRARIUM TOTIUM

SENATOREM ROTHOMAGENSEM.

Cæcilianæ sodalitatis tunc principem.

AUGUSTAS magnæ matris dum personat ædes,
 Cæciliamque chorus tollit ad astra suam:
 Turba inhians cantu fidium & dulcedine vocum,
 Aure diu solâ vivere visa sibi est.

Credidit